

De ichthyosi : dissertatio inauguralis ... / auctor Car. Phil. Gerh. Lintermann.

Contributors

Lintermann, Karl Philipp Gerhard.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1833.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fzp2n6tf>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
ICHTHYOSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XXX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CAR. PHIL. GERH. LINTERMANN

MONTANO - RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

FRANC. HELLERSBERG, MED. ET CHIR. DR.

NICOL. SCHIFFGENS, MED. ET CHIR. DR.

GUIL. DIETZ, MED. ET CHIR. CAND.

ACCEDIT TAB. I. COLORATA.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

1850

THE HISTORY OF

THE UNITED STATES OF AMERICA

FROM 1776 TO 1850

BY CHARLES C. SMITH

NEW YORK: PUBLISHED BY G. P. PUTNAM'S SONS, 245 NASSAU ST. N. Y.

1850

THE HISTORY OF THE UNITED STATES OF AMERICA

FROM 1776 TO 1850

Digitized by the Internet Archive
in 2016

GAR. 1850. 1850. 1850. 1850. 1850.

1850. 1850. 1850. 1850. 1850.

1850. 1850. 1850. 1850. 1850.

1850. 1850. 1850. 1850. 1850.

1850. 1850. 1850. 1850. 1850.

V I R O

DOCTISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

F. A. G. BERNDT,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSO-
RUM REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, MEDICINAE PRAC-
TICAE, ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO ORDI-
NARIO, CLINICI MEDICI ET OBSTETRICI GRYPHIENSIS DI-
RECTORI, FACULTATIS MEDICAE PESTHIENSIS MEMBRO HO-
NORARIO AC SOCIETATUM DOCTARUM COMPLURIUM SO-
DALI ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

Y I I O

P A T R I

DO NOT

OR

H. A. W. T. V. M. S. J. P. M.

NEC NON

THESE ARE THE NAMES OF THE
SOCIETY OF FRIENDS OF THE
LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

PRINTED BY

P A T R I

OPTIMO, DILECTISSIMO

H. J. LINTERMANN

USQUE AD CINERES SUMMOPERE

COLENDO

H A S C E

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

P I O G R A T O Q U E A N I M O

D. D. D.

AUCTOR.

P R A E F A T I O.

Tametsi morbi cutis chronici, iique exanthematici, magnum hominum numerum infestant, non modo rarius illa occurrit species, quam Ichthyosin vocare solent, verum etiam, quod pathogeniam, aetiologiam et curationem attinet, reliquis minus est dilucidata. Quum igitur omnia hujusmodi exempla, quotquot occurrunt, descriptu digna videantur, nihil impedimento esse putavi, quominus ad proponendum casum singularem, quem observavi, me attingerem. Gryphiae enim, quum clinicen medicam frequentarem, homo sese obtulit ichthyosi ab incunabulis inde laborans, sed alio simul detentus morbo, quo aliquanto post interiit. Alterutrum femorum, utpote quae pro

ceteris partibus exanthemate essent obsessa, delineandum curavi et iconem dissertationi addidi. Ne vero meram morbi historiam, eamque brevem, apponerem, de ichthyosi generatim nonnulla conscripsi, secutus auctoritatem virorum, qui optime hac de materie disseruerunt. Quae ex propria experientia desumsi, non adeo multa quidem sunt, at, si displiceant lectoribus, certe excusatione haud indigna.

MORBI DEFINITIO.

Ichthyosis (Graecis ἰχθυωσις, ἰχθυωδης, Anglis Fish-skin, Germanis Fischeschuppenausschlag) morbum sistit longum, ut plurimum insanabilem, aut congenitum et tum plerumque per totum corpus diffusum, aut acquisitum, eumque vel universalem, vel partialem, qui in morbosa cuticulae degeneratione, aut plane deficientibus inflammationis vestigiis, aut phlegmasiae signis magis recedentibus, cernitur. Epidermis, cui plerumque cutis subest crassescens, vel in furfures, vel squamas, vel crustas continuo abit atque delabitur.

MORBI DESCRIPTIO.

Symptomata, incipientem ichthyosin indicantia, ab auctoribus alia atque alia esse tradita, mirari noli: morbus enim a parentibus hereditate solet obtineri, itaque a primis incunabulis infantes plerumque deturpat. Orditur a continua epidermidis degeneratae secessione, partes affectas exanthematis more defoedantis, quod nunc solitarium nunc catervatum apparet, ut plurimum faciem pectusque primum obsidet, paulatimque super truncum et extremitates diffunditur. Plerumque exanthema siccum est, et abstersum maculam cutis rubicundam offert. Morbosa aut epidermis in dies inaequaliter indurescit furfuresque delabentes in lamellas mutantur, ita quidem, ut lamellae squamosae, inaequabiles, nonnunquam angulatae, saepius rotundiusculae, priusquam delabuntur, majori parte super cutem solutae eleventur, minori tanquam per radiculam ei adhaereant. Non semper

autem exanthema dictas exhibet squamas, etenim in pectore praesertim et dorso, nec non aliis quibusdam partibus, quandoque striae angustae, sat longae, corporis axi parallelae emergunt, quibus integra cutis ita interposita est, ut quamlibet maculam longam, vel potius striam, cujus centrum cuti affixum, peripheria autem reflexa et elevata est, sana cutis plaga excipiat, et hanc iterum iterumque stria sequatur, id quod Orientalibus Tyria (Ophiasis) nuncupatur. Saepe exanthema in articulis apparet, crustas referens fuscas, crassas, tenaciter adhaerentes, haud raro unguis magnitudinem aequantes, arborum cortici similes. Crustae seu cortices, e squamis paulatim prodeuntes, ubi deciderunt, mox reparantur; si auferuntur, superficiem offerunt porosam, lineae earum cutaneae secus decurrunt atque lineae cutis sanae ambientis; superficiem habent glutinosam, velut adipe obductam. Dolor abest, at levis pruritus stragulorum calore et repentina tempestatis vicissitudine excitatur. Squamae absque dolore et difficultate possunt auferri et per intervalla, imo nonnullae quotidie, delabuntur. Verum quotannis etiam totalis crustarum et squamarum secessio atque regeneratio locum habent; ut plurimum hieme decidunt, sub veris reditum partes desquamatae, imprimis manus et facies, dolent, fissuras agunt, sanguinem edunt, novisque squamis, aut crustis, teguntur. Plerumque post pubertatem demum morbus perfe-

etiam obtinet evolutionem. Volarum manuum plantarumque pedum epidermis ab exanthemate tuta esse solet, saepe tamen crassescit, riget, aut rimas dolorificas agit.

Cerutti (1) tamen exempli mentionem fecit, quo morbus non modo pedum plantas tenuisse, sed etiam in his et circa articulos primum erupisse dicitur. Alterum casum apposuit Schmidt (2), quo exanthema volam manus, imprimis plantam pedis et regionem malleolorum corripuit. Brambilla puellam vidit, cujus manuum volae pedumque plantae prae ceteris partibus degenerationi obnoxiae fuerunt, id quod Stalpart van der Wiel in puero se observasse tradit. Willano (3), qui exanthema neque in dorso neque ad coxas apparere dicit, exemplum a Pierer (4) observatum refragatur, quippe quo squamarum formatio in coxarum regione, axillis et fossis popliteis vehementissima existeret. Adultis etiam partes pudendae exanthemate corripuntur. Cutis aegrotantis perspiratio vel ex toto suppressa, vel maxime diminuta est; sensus, qua crustae aut squamae exstant, hebetior, pilorum incrementum

(1) Cerutti pathologisch-anatomisches Museum, 2tes Heft. Leipzig.

(2) Descriptio Ichthyosis corneae congenitae in virgine observatae, Bremae 1830.

(3) Willau, Hautkrankheiten u. ihre Behandlung II. Bd. 143 p.

(4) Pierer, Annalen X Heft, Oct. p. 1365.

exiguum. Universa organismi valetudo parum turbari videtur morbo, attamen in symptomatum caterva nonnulla observantur magis minusve constantia, quae corpus non plane integrum esse testantur. Physica organismi evolutio ex more tardius procedit, homines infirmi sunt, quanquam incrementum haud semper praepeditum; quod mentem attinet, inertia, torpor, morositas, taciturnitas animadvertuntur. Alia symptomata desiderantur, morbusque summum evolutionis gradum adeptus, quod post pubertatem fieri solet, subsistit. Nunquam suppuratio aut ulceratio accedit, sed squamae vel crustae manent. Non modo per annos, sed totam per vitam hoc exanthema plerumque viget et vix unquam sua sponte evanescit. Scriptores prisci sudores foetidos, capillorum decolorationem (*ἑτεροχρωσία*) et fluxionem symptomata constantia exhibere putabant, id quod recentiores refutarunt; aegros vero specificum spargere odorem, negari nequit. Contagiosi nihil morbus habet. Ut plurimum aegroti post multos demum annos obeunt affectioque universalis, si ad extremum gradum morbus universalis eVectus est, in conspectum prodeunt: aegroti languent, asthmaticis insultibus, praesertim nocturno tempore, suffocatoriis affectionibus, tussi vehemente, spastica, infestantur, noctuque agrypnia vexati, sudoribus colliquativis, viscidis, specificum odorem spirantibus, diffluunt; vox attenuatur et raucedinem prodit; fames atque sitis modum ex-

cedunt, ingesta autem vomitu vel diarrhoea mox redduntur; oedemata, imo hydrops, subsequuntur; animi magna est morositas. Demum variae nervorum affectiones, lipothymiae, convulsiones, partium singularium paralysis, exoriuntur, quibus mors supervenit.

DIVISIO.

Quum ichthyosis forma non eadem semper appareat, auctores eam in species diduxerunt, quas duce Struve (1) hic proponam.

I. Ichthyosis simplex, quae rarius congenita et universalis apparet, sed plerumque acquisita, eaque vel partialis, vel universalis, squamulas offert, aut furfuraceas, aut majores, tenues, a corporis superficie perpetuo cedentes, nunquam tamen, ut in piscibus, imbricatas. Squamularum origo atque vicissitudo tam aestate, quam balneis tepidis et inunctionibus oleosis evidenter minuuntur, nunquam plane desinunt; oblatis squamulis epidermis tenerrima, et cutis paulo rubella cernitur.

II. Ichthyosis cornea semper congenita est, saepius viros occupat, quam feminas quarundam familiarum; eadem universalis est, conspicua crustis crassioribus, fissis, degenerata epidermide conformatis, rugosam cutem maxime imitantibus, quae in denudata pedum gallinaceorum parte conspicitur. Sem-

(1) Struve, synopsis morborum cutaneorum, Berol. 1829.

per in exemplis observatis secundo vitae mense apparuit, quo cutis colorem obtinuit sordido flavum, et deinde degeneravit. Morbus, quamvis continuus, valetudine ceterum incolumi, tamen aestate minuitur, quoniam regeneratio epidermidis morbosae tum exilior est, imo singularia loca crustis destituta inveniuntur; quo facto cutis ipsa magis minusve rubet et inflammatur.

III. Ichthyosis pergamena et ipsa rarior est et acquisita, sed totum adgreditur corpus, sistitque degenerationem cutis ipsius, quippe quae in substantiam rigidam, pergamenam, sensilitatis expertem mutetur, qua corporis superficies tanquam lorica constringitur et ingratus tensionis sensus inducitur.

EXPOSITIO MORBORUM, QUIBUSCUM CON- FUNDI POTEST ICHTHYOSIS.

I. Hystriciasis (Gallis hommes porc-épios, Germanis Stachelschweinmenschen, Crustenmenschen) eam significat conditionem, qua cutis corporis ad instar hystricis setas sive aculeos concipit. Totius corporis epidermis callescit, aspera, fissa, arida apparet, ubique tegmento cinereo aut nigricante obducta, quo ejus sulci, lineae et papillae amplificantur, et quod ita demum crassescit, ut cortex niger oriatur, qui magnae ariditatis causa artuum motibus et cutis tensione dstringitur multaue in fragmina secedit.

Ista fragmina multifarias subeunt formas, ut rhomboideam, prismaticam, multangulam, concavam, laevigatam, irregularem cet. Autumno crustae vetustiores decidunt, quare sub hoc tempus aegrotorum species scabra, maculosa redditur, et in superficie fossae altiores conspiciuntur, in quibus strata crustacea triplicia aut quadruplicia observantur, quae fragminibus variis magis minusve eminentibus interceptantur. Cum aculeis similitudo non est, nisi fortasse iis in locis, quibus plicatur cutis, ut in ventre, dorso et lateribus. Talis morbi forma in familia Lambertiana exstitit (1); similia exempla van der Wiel (2) et Brambilla (3) observarunt. Infantes sani nascebantur, cutis aliquamdiu demum post partum degenerabat; ceteroquin homines sani, robusti, imo athletici cernuntur.

2. Pityriasis versicolor. Hoc exanthema praecipue in pectore, epigastrio, dorso et interno brachiorum latere efflorescit; maculis discernitur perexiguas, vel flavas vel fuscis, numerosioribus, sibi finitimis, ita ut catervas irregulares macularum aggregatarum, majorem cutis plagam obsidentium con-

(1) Tilesius ausführliche Beschreibung und Abbildung der sogenannten Stachelschweinmenschen. 1802 mit 2 Kupfern.

(2) Stalpartus van der Wiel, Obs. 35, cent. 2.

(3) Brambilla, in der Abhandlung der med. chir. Josephin. Academ. 1. Bd.

stituunt. Singulae maculae, vix inflammatae squamula tenera obducuntur, vel flava, vel fusca, qua sublata, cruentum punctulum per mediam partem denudatam transparet, cui squamula tenacius insidebat et inflammatorii paucillum habebat. Morbus, pruritu blandiori stipatus, alienata cutis vegetatione, inflammatione retis Malpighiani parum exquisita et pigmenti vel flavi, vel fusci depositione exoriri videtur. Hoc exanthema neque cum ullo morbo interno, neque cum symptomate ancipiti junctum est, si pruritus modicum excipias, quem aegroti post gravio-rem corporis exercitationem, vel assumtis potibus calefacientibus persentiscunt. Decursus longus est, per annos tres, quatuor, octo, causae absconditae, saepe hereditariae; alii medicorum a largiori pomorum usu originem deduxerunt, alii a repentina caloris frigorisque vicissitudine. Froriep(1) exemplum memoratu dignum descripsit: aeger tribus cum fratribus isto morbo laboravit, qui omnes ineunte pubertate corripiebantur. Duae sorores, nec non fratrum unus, ad pubertatem nondum proventus, integritate fruuntur. Aegrotantium pectus, dorsum, brachia, pedes furfuraceo exanthemate obsidentur.

3. Psoriasis, morbus diuturnus, sanatu difficilis, inflammatione superficiali chronica, parum ex-culta, dignoscitur, quae nunc segregatas, nunc con-

(1) Froriep R. Notizen Nro. 744, Nro. 18 des 34 Bd. Sept. 1832.

constipatas maculas sistit, nunc totum obducit corpus,
 et eoque excellit, quod superficies inflammatorum loco-
 rum, super cutem vel parum vel nihil eminentium,
 cuticula tenerrima, tremula, rubefacta, obtegatur, per
 quam citra veram excoriationem serum, roris ad in-
 star, guttatim scaturit, quod demum in squamulas
 planas, tenues, saepe subpellucas, vel in escharas
 ampliores, fissuris distinctas, concrevit. Quodsi psor-
 iasis maculas constipatas, vel pannos majores offert,
 vel totum corpus obsidet, semper fissurae vel rhaga-
 des oriuntur, initio superficiales, postea altiores, exan-
 thema multifarium diducentes, quae plurimum exsu-
 dant, et escharis crassioribus, ubi morbus inveteravit,
 ansam praebent. Squamae in media macula tenacius,
 velut per umbilicum adhaerent, demtaeque, celeriter
 restituuntur, sin vero inter sanationem decidunt, a
 margine versus centrum solvuntur, tandemque umbi-
 lico soluto, secedunt, ruborem relinquentes abnormem,
 vel maculis limitatum, vel diffusum, post hebdoma-
 des demum, imo menses cedentem. Singulae ma-
 culae et panni, et quae ex his emergunt squamae,
 crustae et psorae, figuram plerumque referunt ir-
 regularem; at si plures maculae, id quod in pannis
 fieri solet, confluxerunt, rubor periphericus a
 maculis luculenter distinguitur. Licet psoriasis
 cum lepra albaras eo praesertim consentiat, quod
 in utroque morbo cutis exasperatur, squamis et
 psoris obtegatur, discrimen tamen in eo cernitur,

quod illa formam habet irregularem, minime orbicularem; nec manifeste supra cutem eminent, quamvis saepius e veneno leproso originem ducit, et cum lepra, praecipue squamosa, haud raro juncta invenitur. Maximam Ichthyosis similitudinem cum psoriasi alit universalis alba, quae cutis indole squamosa, exceptis plerumque facie, volis manuum et plantis pedum, ubique conspicienda, insignitur. In hoc exanthemate cutis scabra, arida, pergamena deprehenditur, rubore inflammatorio vix conspicua; sulci et lineae, quae per cutem sanam discurrunt, omnino altiores sunt, habitumque rugosum et fissum cum cute communicant. Plagae exiguae, quae inter rhagades innumeras existunt, aut squamulis tenuibus, argenteis, aut farina alba friabili teguntur, ita ut cutis semper squamas et furfures dejiciat. Squamis violenter oblatis, cutis leviter inflammata apparet, lacte rubet, vix excoriationes ostendit, et celeriter novis obducitur squamulis. Saepe hanc serpiginem, quae vel persistit, vel variis anni temporibus nunc erumpit, nunc evanescit, nulla valetudinis turbatae signa concomitantur. Quod ad aetiologiam morbi sat frequentis attinet, de causis ambigitur, attamen respicienda est constitutio vel sanguinea, vel melancholica et phlegmatica; neque minus diaeta et regimen, quae simili ratione accusari possunt, utpote in lepra; porro turbata cutis functio, rarius irritamenta cutis vel inquinamenta, dispositio hereditaria, denique

dyscrasia quaedam non satis cognita, quae rarius ex contagio syphilitico, saepius ex leproso originem petere videtur. Specierum et varietatum hujus morbi major existit numerus, sed differentia haud certa.

4) Lepra, imprimis lepra squamosa, lepra Graecorum, lepra Ichthyosis, impetigo excorticativa, Germanis schuppiger Aussatz. De hac speciatim exposuerunt: C. Celsus, Helvetius, Horst, Wisemann, Forestus, Scultetus, Bonarden, Meckel, Ottner, Willan, Metternick et alii. Orditur morbus a lentiginibus, parvis, rotundis, fusco rubicundis, nitentibus, initio glabris, postea squamas albicantes adsciscentibus. Quae lentigines nunquam per totam cutem diffusae inveniuntur, sed plerumque in pannos majores, vel rotundos, vel ovaes, duorum pollicum diametrum aequantes, coeunt, qui squamis subpellucidis, aridis, teguntur, et margine rubro circumfiniuntur. Ut plurimum squamae alternis vicibus secedunt, et redeunt, rarius in turbas colliguntur, ita ut psoram continuam sistant; squamis vero detractis, cutis apparet rubicunda et nitida. Postea etiam fissurae siccae nascuntur, nec raro corpus reliquum psoriasi alba universali obsidetur. Haec lepra Europaeos crebro adgreditur, praesertim circa cubitum, genua, generatim circa partes, quae ossa cuti habent subjecta, capite non excepto. Ut plurimum utrumque latus occupat, v. c. ambo genua, tibias etc. Tres hujus leprae species exstant: Lepra squamosa

vulgaris, alphoides, et nigricans. Cadaverum sectiones docuerunt, leprae sedem praecipue in tela cellulosa cutis esse ponendam, eaque vitiata, sensim carnes subditas et tandem ossa ipsa ad medullam usque corrumpi et in substantiam informem mutari. Papillae cutis admodum prominent; glandulae mesaricae infarctae, hepatis substantia durior, ejusdem volumen amplius, venae oblitteratae, in lepra partiali praecipue vasorum lymphaticorum diametrus aucta deprehenduntur. Partim organorum internorum morbo, partim eo, quod exanthema modo parziale est squamasque facile delabentes exhibet, ab ichthyosi discernitur.

5) Morbus ichthyosi similis nonnunquam in extremitatibus eorum hominum animadvertitur, qui exili cutis transpiratione conspicui, habitum corporis cachecticum, macilentum offerunt. In hydrope anasarca etiam cutis saepe rigida, squamosa, discolor evadit. Hinc fit, ut partis expansio aliquamdiu impediatur, donec lymphae effusa tegmentum rumpat multasque per fissuras exiguas profluat. Denique pedes post sanationem ulcerum inveteratorum epidermide crassa, sicca, squamosa, ergo piscium squamis haud dissimili, obducuntur.

AETIOLOGIA ET MORBI NATURA.

Quod ad Ichthyosis aetiologiam pertinet, causae

adhuc minime indagatae sunt. Alibert (1) quidem loca maritima, amnes piscosos, ac nutrimenta inde petita, corpus ad hunc morbum reddere opportunum, suspicatur; idem vero non multo post fatetur: »hunc morbum foedum ac detestabilem ex causis oriri hucusque prorsus incognitis.» Olim in Anglia Carnubienses, circa totam fere oram maritimam habitantes, quorum pauperiores solis paene piscibus pascebantur, Ichthyosi adeo submittebantur, ut teste Willisio ad eos sublevandos multa nosocomia in illa regione conderentur. Eadem fere traduntur de Hibernis a Boat in historia naturali Hiberniae; quippe qui piscium emortuorum, imprimis Salmonum morbidorum, esui assuefacti, plurimum ichthyosi laborent. Nostro tempore hoc malum minus commune est, quoniam prohibitus est Salmonum esus mensibus Novembri et Decembri, quo tempore praecipue aegrotant. Quod si verum esset, ut ex piscium esu imprimis nasceretur et aleretur haec aegritudo, crebrius in locis maritimis occurreret, nunquam vero in montanis et aliis, in quibus pisces vel desiderantur, vel rarius praebent alimentum. Carnem suillam facere ichthyosin, medici antiquiores multi putarunt; perperam vero, etenim Celso et Galeno inter carnes levissimas et domesticas suilla refertur, et Arabi-

(1) Alibert, description des maladies de la peau etc. Paris 1806—1814. L. c. p. 369.

bus pro valentissimo alimento habebatur, quo etiam Athletae et alii, qui corporis viribus eminere studuerunt, vescebantur. Multi auctores hujus morbi causam in animi perturbationibus collocarunt, quemadmodum vero animi affectuum vis in capillos, sensus, colorem habitumque cutis totius negari nequit, ita imprimis repentinum terrorem, diuturnum angorem aliosve animi motus ad efformandos foetus monstruosos valere, compertum habemus. Stalpartus van der Wiel (1) verba faciens de homine ichthyosi obnoxio, »ortam fuisse dicit cutis deformitatem, quod mater, cum linteaminum purgandorum causa litus peteret, in flumine vicino squamatos et testaceos vidisset pisces, quorum imaginem tam firmiter cerebro impressisset, ut non ita diu post a marito impraegnata, pisciumque perpetuo memor foetum pepererit, instar piscis squamosum, facie tamen, colloque decorum, reliquo autem corpore prorsus nigricantem, et obscuro quodam scabroque obductum musco, quapropter idem nudus non tantopere frigore, quam quidem alii infestabatur. Puer ille ingenio, quantum aetas ferebat, subtili et acri, ac quod mirere, piscium avidus admodum erat, adeo ut post crebriorem carnis esum male se haberet. Ipse etiam cum aliis medicis ex ejus corpore prodeuntem animadvertit, qualem pisces diffundunt, odorem, quem qui-

(1) Stalpartus van der Wiel, obs. 35, cent. 2.

vis admoto propius naso percipere poterat. Delapsis veteribus novae succedebant illico squamae, quibus evulsis mox effluebat sanguis.» — Alii medicorum antiquiorum ichthyosin pro scabiei summo gradu habebant, et differentiam non nisi in affectionis gravitate ponendam putarunt; major enim in ichthyosi secundum eos humorum atque sanguinis intemperies est, quam in scabie, et in hac tantum furfures decidunt, in ichthyosi vero squamae. In scabie materia peccans tenuior, summam tantum cutem adgreditur, in ichthyosi crassior, profundiora exedens, ut cutis plena fiat rugis et plicis. Praeterea superficies cutis ichthyosi laborantium inaequabiliter crassa et dura est, interdum finditur, lateque hincit. Naturam ichthyosis plurimi auctores in mera epidermidis degeneratione cerni tradunt, quare Alibert Tilesium refutare studet, qui eam in morbosa commutatione folliculorum cutis sebaceorum posuerit. Equidem Tilesio (1) adstipulari non dubito, quod, iis caute extractis, petiolus radiciformis simul extrahi potest, qui ipsis folliculis oriri videtur. Praeterea epidermis e reti Malpighii substrato nascitur, itaque aegra epidermis pro abnormi secreto mutatae reti malpighiani functionis est habenda. Totam vero cutem Ichthyosi

(1) Tilesius. Ausführliche Beschreibung und Abbildung der sogenanntn Stachelschweinmenschen aus der Familie Lambert. 1802. Fol. mit 2 Kupfertafeln.

laborantium huic aegritudini esse implicatam, peculiaris illa per totum corpus adipis inopia, praesertim in aegris partibus perspicua, indeque nata cutis laxitas et rugositas argumentatur. Quidquid demum est, epidermidis redintegrationem et qualitate et quantitate esse turbatam satis constat; etiamsi enim corpora illa cornea nil nisi epidermidem exhiberent induratam, tamen subitaneam et peculiarem eorum indurationem, nec non magnam secreti molem nisum formativum quantitate et qualitate mutatum turbatumque indicare liquet. Sunt etiam, qui contendant, Ichthyosin leprosaе esse indolis. Objiciunt autem alii, Ichthyosin limitari cute, non penitus descendere, eandemque non esse contagiosam. Quodsi medicorum antiquiorum et recentiorum sententias comparamus, naturam leprae contagiosam nunquam pro explorato habitam esse; ne hodie quidem certum morbi stadium, in quo exanthema ad transpositionem praecipue idoneum sit, indigitari potest. Archigenes (apud Aetium) in Syria, ait, lepram superficialem desaevisse, quae cum ichthyosi non tantum in eo consenserit, quod neque majorem partium destructionem effecerit, neque contagiosa fuerit, sed in eo etiam, quod forma eadem exstiterit. Cernebatur scilicet in cutis asperitate squamis permagnis, pisorum cuticulae similibus, iuducta prurituque conjuncta. Neque Celsus neque Prosper Alpinus (1) con-

(1) Prosper Alpin. Medicina Aegypt. Lib. I, c. 14.

tagiositatis mentionem faciunt. Inter Graecos praecipue lepra squamosa grassabatur medioque aevo $\lambda\omega\beta\omicron\varsigma$ vocabatur, quae vox vel a Graeco $\lambda\omega\pi\omicron\varsigma$ (squama), vel a $\lambda\omega\beta\eta$ (cortex) desumta videtur, unde haud dubie Sanctus quidam, cujus auxilium hoc in morbo implorabant, nomen $\kappa\alpha\rho\alpha\lambda\omega\pi\omicron\varsigma$ tulit; verum etiam lepra graeca contagiosa non erat. Raymond (1) in Creta insula huncce morbum atrociter desaevire, et a parentibus quidem ad prolem hereditate transferri, at ejus contagiositatem exemplis haud probari, enarrat.

Aequum ergo videtur ratiocinari, lepram modo esse contagiosam, modo non esse. Nec semper quidem lepra magnas intulit devastationes, saepe levisima exstitit. Ichthyosis in eo etiam cum lepra conspirat, quod exanthema imprimis articulos ambit ibidemque copiosissimum apparet. Jam Archigenes lepra, inquit, psorica (Baras nigrum, lepra Graecorum) cutem tantum ostendit, leuke autem (Baras album) carnem cuti subditam in colorem albidiorum penitus vertit, superficiem locorum affectorum laevem derelinquit; alphas denique (naevus albus), leuken antecedens, superficiei adhaeret et squamarum instar cuti insidet. Willan et Bateman ichthyosin nihil leprosi habere dicunt, quippe quae squamas minus facile delabentes exhibeat et constitutionis vitio

(1) Raymond, l. c. p. 35.

haud nitatur. Cerutti (1) autem squamas, ait, si diutius creverint, facile submoveri et continuo quidem secedere, sed ubique renasci; corporis constitutionem neque ichthyosi, neque lepra, neque aliis exanthematibus chronicis semper turbari; naturam enim exanthematum ita ferre, ut, quo promptior et vegetior eorum efflorescentia sit in summa cute, eo propius accedere ad crisin, eoque majorem partium interiorum esse integritatem. Ichthyosi laborantes Veneris cupiditate destitui traduntur; eandem vero ab iis interdum abesse, qui lepra detineantur, Willan asserit. Fuerunt etiam, qui hystriciasin atque ichthyosin principio cuidam denigranti adscriberent, quod nostris in plagis non aequè ac in Africa debitum obtinere possit praedominium, itaque materiae excrementitiae instar ad cutem compellatur illamque degenerationem efficiat. Causam ponunt in praematura hydrogeneitate, quam in Aethiopibus quoque inveniri et pigmentum cutis nigrum gignere tradunt. Inter sceleton etiam Aethiopum atque hominum ichthyosi et hystriciasin affectorum plurimum similitudinis intercedere affirmant. Hanc theoriam praeterea confirmari dicunt eo, quod post partum demum illa degeneratio oriatur, perinde ac Aethiopes post partum nigrescere incipiant; porro quod loca cutanea,

(1) Cerutti, pathologisch-anatomisches Museum. IIs Heft. Leipzig 1822.

quae dejecerunt squamas, Aethiopum exanthematibus crustaceis laborantium cutem adaequent; denique quod sequior sexus tutus sit, quippe cui, ad hydrogeneitatem multo propius accedenti, abundantia hydrogenii minus nocere queat. Ut plurimum hocce malum hereditarium esse videtur, morbi enim nonnulli omnino hereditate in posteros deferuntur, maxime vero Ichthyosis, et qui partes solidas adgredi solent. Semini, ut putant, vis quaedam insita est, quae sicut valet ad speciem, ita morbosam diathesin occulte devehit et transponit; istaque vis insita quasi est tradux, ut ex macrocephalis macrocephali generentur. Quae dispositio ad ichthyosin hereditaria id proprii habet, quod interdum, praetermisso filio, ad nepotem transfertur. Quamquam morbus neutri parit sexui, minus tamen sequior, quam potior eo corripitur, quare pueri ejusdem familiae multo gravius ei implicantur, quam puellae, etiamsi hae non plane tutae sint; imo puellus maximo ichthyosis gradu detineri potest, dum corpus matris, fomitem hereditarium suppeditantis, passim tantum morbi vestigia offert. Ichthyosis non hereditaria iisdem excitatur causis, quibus alia exanthemata chronica evocantur. Hominem quendam secundo vitae anno, paulo post variolas, ichthyosis adgressa per sex - septem annos citra mutationem divexavit (1). In exemplis quoque est,

(1) Willan, pag. 144, übersetzt von Friese.

utrumque parentem, ichthyosi obnoxium, sanos generasse infantes (1). Hereditaria ichthyosi excelluit familia Lambert, in qua per tres progenies masculos omnes subegit, femellis pepercit. In mulierculis etiam, de quibus Martin (2) retulit, morbus hereditarius viguit, et a matre ad filiam transiit. Sic Rayer (3) Joannem Brayer, ejusque fratrem, filios imbecillis patris, ichthyosi universali laborasse, sorores vero eorundem salvas mansisse, ita ut a patre ad filios, a matre ad filias morbus transferri videatur; quod tamen minime ad Ichthyosin simplicem pertinet, ut experientia abunde testatur. Ceterum morbi forma in familia Lambert, quamvis alias simillima, nam Richardo Lambert quoque caput integrum non erat, eo maxime differebat, quod a volis plantisque abstinebat, unde postea Rayer perperam ratiocinatus est, hoc ex lege quadam naturae semper fieri «à cause de la texture particulière de ces diverses regions.» At jam Martin in mulierculis descriptis digitos et volas rigida fuscaque cute, cortici simili, quam squamae, obductas invenerat, primaque morbi vestigia in trima filia ad pedes et plantas observaverat. Quum ichthyosi laborantes per totum

(1) P. Frank, 5 Epit. Lib, IV. §. 460.

(2) Martin, P. J., Case of hereditary Ichthyosis in London medico-chirurgical Trans. Vol. IX, part. I.

(3) Rayer, Traite theorique et pratique de Maladies de la peau, Paris 1827.

corpus facile sudent, poros esse peculiare, quos nuper Th. Gordon Hacke (1) denuo demonstrare studuit, apparere videtur. Ab his fortasse partialibus sudoribus iisque largissimis derivari illud potest, quod in locis sudantibus nullae crustae reperiantur; eadem causa effecisse videtur, ut in familia Lambert vocatae et plantae omnino incolumes essent. Tilesius in mollitie et lubricitate earum partium, quam pendere putat a largiori pinguedinis strato, causam collocat. Quod axillae plerumque integrae sint, eadem ex causa repetendum censeo. Quicumque, qui de hac re scripserunt auctores, valetudinem Ichthyosi laborantium prosperam fuisse affirmant, plurimi tamen hoc morbo affecti teneriori aetate rhachitide laborasse videntur. Tilesius (2) certe hoc suspicatur de Richardo Lambert, et jure quidem, quod ego existimo. Eandem sententiam profitetur Alibert. Backer (3) vero Eduardum Lambert, quem anno aetatis quadragesimo vidit, virum describit procerum ac vegetum. Idem fere tradit Tilesius de Joanne Lambert, ejusdem nepote, cujus tamen facies melancholica, taciturnitatem quandam referens, describitur. Eodem ille loco patrem utriusque «Porcupine-men ex aliquot annis quadam extremitatum

(1) *Lancet* 1830. Vol. II. Juni—July. N. 361.

(2) *L. c.* p. 16.

(3) *Philosophical Transact.* Vol. XLIX. part. I. p. 22.

paralysi laborare perbibet. Martin hujus rei mentionem quidem non fecit, attamen puellam admodum cariosos dentes habere, interdumque psorophthalmia ac tumoribus glandularum cervicalium corripit narrat. In ichthyosi leviori, maxime si infantes tenet, plus minusve scrophulosi existere videtur, nam plerique eorum crusta lactea laboraverant. Sed in his quoque exemplis omnibus ariditas ac rugositas cutis sub oculos cecidit. Nec non secretiones, Ichthyosi similes, in cute eorum, qui atrophia, tabe, aut hydrope laborant, pari modo ex inopia pinguedinis his morbis peculiari profluunt, atque evanescent, pulvillo cutis adiposo restituto. Haud dubie singularis melancholia ore expressa, quam Tilesius quoque apud Joannem Lambert observavit, et quae teste Alibert (3) non solum semper comitem Ichthyosis sistit, sed ita subinde augetur, ut in stupiditatem transeat, notatu dignissima est. — Analysis ecphymatum chemica obtulit elementa quam plurima iis analogae, quae e cornibus, crinibus, testisque testudinum obtinentur, constabant enim ex materia, quam dicunt animali, quae, calcariae carbonicae expers, in aqua cocta mollescit quidem, sed non solvitur. Igne combusta oleum empyreumaticum, ammonium carbonicum et gas hydrogenium carbo-

(3) L. c. p. 376. Les sortes d'Individus sont parties à une melancholie habituelle etc.

atum emergebant, exiguo residuo (sex vel septem centesimis) calcariae phosphoricae ac natri phosphorici relicto.

PROGNOSIS.

E dictis abunde patet, qualem augurari prognosin oporteat. Morbus incipiens, aut levior forte sanabilis, exquisitus nunquam esse videtur. Quamdiu corporis functiones ad naturae amussim respondent, nihil periculi urget, vita ad longam senectutem protrahi potest, ita ut aegroti suetis negotiis perfungi valeant. Sin magna virium labes, macies, asthma, imprimis febris lenta cum colliquativis sudoribus et diarrhoeis, aut cum vomitu apparent, vita in discrimen datur. Complicationes ichthyosis cum aliis morbis prognosin longe reddunt pejorem.

MEDELA.

Curatio prophylactica, quamquam non committenda, parum auxilii pollicetur, quum morbus ut plurimum congenitus, raro acquisitus esse soleat. Haud dubie summa cutis mundities, balneis adjuncta, cibi eupepti beneque nutrientes contra hoc malum teterrimum commendandi sunt; quare jam antiquiores populi maximae munditiei indulgebant.

Curatio universa, antiquitus commendata, multis premitur tenebris et difficultatibus, partim quod vetustiores therapeutices rationalis praecepta pa-

rum noverant, partim quod recentiori tempore tam raro ichthyosis occurrit, ut de ejus medela nondum certae et indubitatae observationes institui potuerint. Imo multi nostratum de ichthyosis insanabilitate ita persuasum habent, ut oleum operamque sese perdituros existiment, si certa quaedam remedia, aut novas medendi methodos extricare studeant.

Ad usum internum laudatae sunt pilulae ex pice, cum farina aut alio pulvere quodam paratae. Initio picis drachmam unam per diem exhibere, dosinque paulatim ad drachmas tres vel unciam dimidiam augere licet, ita quidem, ut haec medicina diutius continuetur. Ingratus pilularum odor haud mediocriter minuitur, si ante assumptionem aliquamdiu seponuntur. Cuticulam asperam citra externorum remediorum usum findi, delabi sanamque sub ea succedere dicunt. Hystriciasi laborantibus mercurio interne adhibito, quo oxygenium in corpore secernatur, squamae decidere feruntur. In morbo quodam hystriciasi simillimo continuus balneorum tepidorum et mercurii usus crustarum verrucosarum dijectionem effecit, paulo autem post cutis plana albaque novum tegmentum corneum induxit. Plurimum auxilii generatim ea remedia polliceri videntur, quae universam reproductionem alterant, cutisque functionem praeprimis incitant, ut mercurialia et antimonialia; saluberrimae fortasse inunctiones sunt mercuriales;

Arsenicum etiam commendatur; sulphur, similibus in morbis utilissimum, nihil prodest. Porro remedia haemato cathartica, quae vocantur, cum fructu administrata esse dicuntur, ut *Ledum palustre*, *Dulcamara*, *Guajacum*, *cortex ulmi*, *Plantago latifolia*, *Cinchona officinalis*, *radix lapathi acuti*, *Sassaparillae*, *herba jaceae*; neque minus incitantia vegetabilia, tam volatilia quam permanentia, ut *Contrajerva*, *Serpentaria*, *Zedoaria* cet.; ex resinosis *baccae Juniperi*, *pix liquida*, *Petroleum*, praesertim si constitutio debilis sit, et sensibilitas exorbitet. Denique remedia amara, anti-scorbutis nupta, aut, prout res exoptulet, narcotica et diuretica prae omnibus autem *radix sassaparillae*.

Quum in *ichthyosi* vulgari tegmentum squamosum, si aufertur, tardius demum regenerari soleat, nonnulli, adhibitis antea balneis tepidis, squamas unguibus a cute diduci, posteaque continuato balneorum tepidorum usu, nec non modica locorum affectorum frictione regenerationem impediri jubent; etiamsi cutis debitam mollitiem non recuperet, sed dura aridaque maneat. Balnea quoque sulfurosa cutisque frictiones ope laneorum panniculorum nonnunquam morbum sanasse dicunt; at vero cutem mansisse vitiosam, splendentem, et exanthema rediisse, constat. Quod reliqua externa remedia attinet, commendata sunt: *sulphas aluminis et potassae*, *helleborus albus*, *calx viva*, *mercurius*, imprimis balnea sulfurosa, aliaque calida, tam simplicia, quam cum

herbis parata, balnea marina, Unguentum oxygenatum; a nonnullis hoc unguentum laudatur:

℞. Ungt. pomadini ℥ij
 balsami peruviani ℥ij
 flor. sulphur. ℥ijß
 olei tartari ℥ij

M. f. Ungt.

Diaeta et regimen ad sanandum aut levandum morbum quamplurimum conferunt. Aër purus, non nimis frigidus, praesertim montanarum regionum, ichthyosi laborantibus saluberrimus videtur. Aegroti, si fieri potest, domicilium mutant, quod tanto praestantius est, quanto magis aegri in plagis calidioribus, humidis, insalubribus semper vixerunt; insimul mens exhilaretur animique temperies melancholica, quae haud raro ad vitae taedium evehitur, depellatur. Vitentur cibi dyspepti, saliti, corrupti, pingues, nimis conditi, assumantur blandi et eupepti. Victu animali praestantior est vegetabilis, imprimis herbae et radices antiscorbuticae, quae dicuntur, principio acri imbutae, ut raphanus sativus, cochlearia officinalis et armoracia, sinapis, sisymbrium nasturtium, rumex acetosa; ciborum farinaceorum et panis crudi usus dissuadendus est. E carnibus praecipue suilla et anserina, nec non pisces pinguiore nocent; testudinum vero et viperarum caro, pariter atque juscula ex hac parata laudantur. Pro potu commendantur: cerevisia amara levior, decoctum malthi, aqua sac-

charata, acidum citricum, succus aurantiorum, serum lactis; perutilis etiam diaeta lactea videtur; denique aegroti summae munditiei studeant, necesse est.

MORBI HISTORIA.

Anamnesis. J. Z., pedisequus, natus patre mercenario, Pomerano, annum aetatis agens tricesimum quintum, staturae mediae, constitutionis venosae, ceteroquin robustae, si a morbo cutaneo discedas, ad annum aetatis vicesimum quintum secunda gaudebat valetudine. Anno dicto in medio brachio sinistro ulcus erupit, quod, exemptis fragminulis osseis, remediis adhibitis non cessit; particulae osseae etiamnum secesserunt. Neque caries autem, neque exanthema postea describendum impediabant, quominus aeger negotiis suetis perfungeretur, donec, graviori correptus morbo, auxilium petiturus ad clinicum medicum, quod Gryphiae est, confugeret. Facta exploratione, haec sese obtulerunt:

Status praesens (die XVI Junii 1832.). Facies leucophlegmatica apparuit, labia crassa, genae pallidae, inflatae, quae communia hydrothoracis, ascitae et hydropis anasarca signa esse solent; existit simul diarrhoea et vomitus ingens post pastum. Ichthyosis, cujus effigies descriptioni supra editae respondebat, caput, faciem, pectus, dorsum, ventrem, extremitates superiores atque inferiores, pedum articulos, maxime vero femora tenuit, etenim haec pe-

nitus fere deturpata fuerunt. Manuum volis pedumque plantis exanthema pepercerat.

Quod ad anamnesin, haec praecipue notanda videntur: Pater aegroti adhuc vivus, annum vitae agit sexagesimum octavum et a teneris optima viguit valetudine, mater phthisi obiisse dicitur; neuter parentum exanthematis vestigia unquam exhibuit. Noster plures habet fratres, quorum proximus ab eo ichthyosis gradu leviori laborat, quippe morbus imprimis brachia et crura obsidet, et reliqui fratres et sorores ichthyosi vacant. Aegroti proles et ipsa destituitur exanthemate; fratris autem filii duo exanthemate quodam laborant, pityriasi versicolori admodum simili; filiae bene valent. Hieme exanthema aliquantum minuitur, non prorsus evanescit, aestate maxime floret.

Aetiologia. De causa nihil certi dirimi potuit; pater aegroti autem refert, maritam suam, quum praegnaret, conspecto viro ichthyosi obnoxio esse perterritam. Proinde dispositionem hereditariam locum habuisse, ratiocinari aequum videtur.

Curatio. Imperata sunt remedia amara et diuretica, quibus adhibitis aeger Mense Octobri a. 1832 hydrope fere liberatum se vidit; mense tamen Decembri aucta cum violentia morbus rediit et Januario mense A. 1833 mortem intulit. Exanthema naturae committebatur. Cadaver incidendi venia data non est.

EXPLICATIO TABULAE.

Repraesentat extremitatem dextram inferiorem, praecipue Ichthyosi laborantem, ita ut omnino fere deformetur.

SUBSIDIA LITTERARIA.

- Samuel Hafenreffer, πανδοχεῖον ἀλιολόδερμον, in quo cutis, eique adhaerentium partium affectus omnes traduntur. Tuebing. 1630. 12.
- David Turner, a treatise of diseases etc. London 1736. 8.
- Robert Willan, description and treatement of cutaneous diseases, London 1798. Uebersetzt von Friese 1806. Breslau.
- Thomas Bateman. a practical synopsis of cutaneous diseases. London 1813, 8. Uebersetzt v. Hanemann, Halle 1815, 8.
- Vincenz Chiarugi, delle malathie cutanee sordide, in genere e in specie, trattato teorico-prattico. Vol. II. Firenze 1807, 8.
- B. A. Gomez, ensoio dermosographico e succincta e systematica descripcao das doencas cutaneas. Lisboa 1804, 4.
- P. Rayer, traité theorique et pratique des maladies de la peau, fondé sur de nouvelles recherches d'anatomie et de physiologie. Tom. I. Paris 1826. Tom. II. 1827. Planches 1826, 8.
- Retz, des maladies de la peau et de celles etc. Paris 1790.
- Jacq. Derien, essay d'une table synoptique des maladies de la peau. Paris 1804, 4.
- M. Alibert, description des maladies de la peau, observées a l'hospital Saint-Louis et exposition des meilleures methodes, suivies pour leur tractement. Paris 1806-1814. X. Livraisons in folio. Ejusdem précis theorique et pratique sur des Maladies de la peau. Paris 1818. Vol. II. 8. Uebers. v. Müller, erstes Heft, Tübingen 1806. 8.
- Joseph Frank, praxeos medicae uuiversae praecepta. Lipsiae 1815. T. I. Vol. II. in 8 cont. doctrinam de morbis cutaneis.
- Samuel Plumbe, a practical treatise of diseases ect. Lond. 1824. 8. Uebers. Weimar. 1825. 8.
- J. Wilson, a familiar treatise on cutaneous diseases. Lond. 1814. 8.
- Struve, Synopsis morborum cutaneorum. Berl. 1829.
- Tilesius, Beschreibung und Abbildung der sogenannten Stachelschweinmenschen. 1802.

- Blumenbach und Autenrieth, Beschreibung der Stachelschweinmenschen. Voigt's Magazin der Naturkunde. 3 Bd. 4 St. pag. 687 u. Bd. 4. 3 St. p. 287.
- P. J. Martin, Case of hereditary Ichthyosis. In London medico-chirurgical Transactions. Vol. IX.
- Buniva, Mèm. de l'Academ. imp. des sciences, lettres et beaux arts de Turin. Turin 1811.
- Brambilla, in der Abhandlung der med. chir. Josephin Academ. 1 Bd. p. 371.
- Panavolus Pentecost. 5. obs. 9.
- Marcellus Donatus, mirab. Lib. I. 3.
- Stalpartus van der Wiel, Obs. 35, cent. 2.
- Desgranges, Observation sur une ichthyose macrée, maladie de la peau commune. In Annales de la soc. de med. de Montpellier, T. 31. p. 261.
- Spangenberg, in Horns Archiv für mediz. Erfahrung 1812. März, April p. 273.
- Lauth, memoire sur les frères Lambert etc.
- Lanzoni Misc. acad. nat. cur. dec. III. a. 4. 1696. p. 152.

V I T A.

Natus ego sum Carolus Philippus Gerhardus Lintermann, anno MDCCCVII die XXVIII. M. Novembris, Gemarcae, patre Henrico Josepho, matre de gente Lercher, quos parentes superstites intimo animo per divinam gratiam veneror.

Primis litterarum elementis in schola, quae floruit in urbe patria, a Rectore Grimm, praematura morte adempto, instructus sum. Deinde Gymnasium quod Duesseldorpii rectore Brueggemann floret, per tres annos frequentavi. Anno hujus seculi XXVI M. Aprilis Regio instituto, quod Monasterii floret, medico-chirurgico, Directore Exp. Dr. Wutzer, hoc tempore Chirurgiae Professore p. o. Universitatis Bonnens., adscriptus sum. Hic disserentes audivi:

De physice experimentali Cel. Prof. Roling, de historia naturali generali, de botanice, de zoologia ac mineralogia Exp. Dr. Roedig, de chemia theoretica et experimentali Ill. Dr. Bodde, de osteologia et syndesmologia Exp. Dr. Zumbriack, de anatomia corporis humani generali disserentem Ill.

Dr. Wutzer, repetentemque Exp. Dr. Tourtual, audivi.

Anno MDCCCXXVI M. Octobris ad almam Rhenanam universitatem me contuli, et a Rectore manifico Ill. Prof. Noeggerath in numerum civium academicorum receptus nomen dedi apud decanum facultatis medicae spectatissimum F. Nasse. Per tria semestria hisce clarissimorum professorum ordinis philosophorum et medicorum praelectionibus interfui: de logice et psychologia Ill. a Calker, de physice experimentali Ill. a Muenchow, de botanice Ill. Nees ab Esenbeck, de zoologia Ill. Goldfufs, de mineralogia Ill. Noeggerath, de chemia experimentali Ill. G. Bischof. Praelectiones de rebus medicis has audivi: anatomiam specialem, odenologiam, et physiologiam Cel. Mayer et anatomiam generalem Cel. Weber me docuerunt, encyclopaediam et methodologiam artis medicae Ill. Windischmann, materiam medicam, pathologiam et therapiam specialem et generalem Ill. Harless, chirurgiam, doctrinam fracturarum et luxationum, fasciarum applicandarum et operationum chirurgicarum Ill. a Walther, therapiam generalem ac specialem Ill. Nasse. De arte obstetricia instrumentisque ejusdem artes audivi loquentem Cel. Hayn, qui etiam operationibus obstetriciis in machina, cui nomen phantoma est, me instruxit.

Ab anno MDCCCXXVIII usque ad annum MDCCCXXIX in legione borussica chirurgi voluntarii militaris munere fungens, stipendia merui.

Tum anno MDCCCXXIX M. Octobris Berolinum me contuli, et a Beat. Hegel, h. t. rectore manifico in album receptus et a Decano medicorum ordinis spectatissimo Wagner facultati medicae adscriptus sum. Per tria semestria hisce celeberrimorum virorum lectiones frequentavi: de anatomia organorum sensuum Beat. Rudolphi, qui una cum Ill. Knape in exercitationibus dissecandorum cadaverum dux mihi fuit, de infantum morbis et de formulis medicis conscribendis Cel. Casper, de doctrina

morborum oculi Cel. Juengken, de doctrina psychicorum Cel. Kranichfeld, de morbis syphiliticis Ill. Horn disserentes audivi. Exercitationes clinicas tam medicas, quam chirurgicas Ill. Bartels, Rust et de Graefe adii.

A. MDCCCXXXI M. Aprilis ad almam Gryphiam me contuli, ubi Rectore magnifico Ill. Berndt in album receptus et a decano medicorum ordinis spectatissimo Mandt, facultati medicae adscriptus sum. Institutiones et theoreticae et practicae, quibus interfui, sunt, quae sequuntur: De Pathologia et Therapia speciali, nec non de Cholera orientali Ill. Berndt, de anatomia comparata et pathologica Cel. Schultze disserentes audivi. Clinico medico et obstetricio usus sum duce Ill. Berndt. — Clinico chirurgico et ophthalmiatrico duce Ill. Mandt.

Tandem anno MDCCCXXXIII M. majalis in hac universitate Friderica Guilelma civium academicorum numero legitime adscriptus Ill. Weifs, fasces academicas hoc tempore tenente, coram vero Ill. Osann h. t. Decano spectabilissimo scholae medicae Berolinensi adjunctus sum. Per hoc tempus hisce interfui lectionibus medicis et chirurgicis: Cel. Casper de medicina forensi. Institutionibus clinicis medicis, chirurgicis Ill. Rust, Cel. Wolff interfui.

Omnibus hisce praeceptoribus gratias quam maximas debeo, eorumque in me bene merita pia grataque mente venerari nunquam desinam.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico, nec minus examine rigoroso, coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. In prosopalgia nervi dissectio rejicienda est.
 2. Phthisis pulmonum tuberculosa est contagiosa.
 3. Crusta inflammatoria sola venaesectionem repeti non jubet.
 4. Homoeopathia in morbis acutis minime adhibenda est.
-



